



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica Prima

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

nenda adhuc hodie unô cibô carebi-
mus, recitantes hujus locô 15. *Pater &*
Ave cum oratione : *Concede nos famu-*
los, quasumus, mentis, & corporis sa-
nitate gaudere &c. Mortem petit, qui
ciborum superfluitatem.

Dominica I. Quadragesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

QUOD Paulus prædicavit suis Corin-
thiis, hoc ego spirituali an-
nuntio Clienti. Ecce! nunc tem-
pus acceptabile! ecce! nunc dies salu-
tis. Ecce! tempus, ubi sua diluat pec-
cata, expungat pœnarum debita, & sibi
insignia tum virtutis, tum sanctitatis,
procuret merita. Nundinæ sunt: Quis
lucrum negligat?

Instructio meritoria.

Pro felici igitur S. Quadragesimæ au-
spicio offeratur sacramentalis commu-
nio cum *Litaniis de omnibus Sanctis*.
Multis precibus redimuntur neglecta
tempora.

B 7.

II. Ut

II.

UT Jesus dignè sese disponderet ad opus Redemptionis nostræ, quid agit? en! in solitudinem abit: Populum, & publicum fugit: In deserto se abscondit. Adeò necessaria ad opera magna solitudo sacra. Et nos inter turbas quærimus Deum? quid mirum, si non inveniamus?

Instructio meritoria.

Unum specialem quadrantem piis precibus, vel visitationi Sanctissimi, aut sacræ cuidam lectioni hodie impendamus & in venerationem quadragenariæ solitudinis Christi 40. *Ave* cum totidem osculis terræ peragamus. Christus in solitudine, & ego.

III.

A Udi præceptum Domini: *Domini- num Deum adorabis, & illi soli servies.* Si soli: Ergò non sæculo, nec carni, nec diabolo, cujus nos servi sumus, ò fili! utinam Jesu patientissimi! vivimus enim in quadragesima.

In-

Instructio meritoria.

In Antecessum recitemus in honorem & amorem totius ætatis Christi 33. *Pater & Ave* cum Cantico : *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Nostrum vivere sit continuum laudare Redemptorem.

Dominica II. Quadragesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Agitur in hodierno Evangelio de beneficio vocationis. Sciat ergò filius ex ore Apostolici Doctoris, ipsum non vocatum esse in imunditiam, sed in sanctificationem in Christo Jesu Domino Deo. *Et hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*

Instructio meritoria.

Ut in statu suo totus ambulet purus, & sanctificatus, coram Sanctissimo recitet *Lytanias de dulcissimo Nomine Jesu*: vel locò harum 15. *Pater & Ave* in venerationem 5. litterarum, quibus constat Nomen Jesu. In hoc Nomine salus.

II. Vi-